

dere potest, ut *doctrina homini, rotunditas marmori*, et haec indifferentia, ut per se clarum est, arguit distinctionem realem; unde quia *homini* physice indifferens est ad doctrinam; marmor ad rotunditatem, homo a doctrina, marmor a rounditate realiter distinguuntur. Deinde *logicam*, quae tum datur, quando unum sine alio, ad quod indifferens esse dicunt, cogitari, quidem, non tamen reapse existere potest; sic *vis sentiendi in homine* absque *et ratiocinandi* cogitari quidem, non tamen existere potest, et haec indifferentia, ut rursus patet, arguit distinctione duntaxatrationis. Jam vero essentia actualis nonquaque potest esse *physice* indifferens ad existentiam: cum enim essentia hoc ipsu solum, quod sit producta, fieri absolute non potest, ut vel essentia actualis unquam sit absque existentia, vel haec ipsi realiter accedit. Quum tamen essentia actualis sine existentia saltem per abstractionem cogitari possit, ea recte dicunt ad hanc *logice* indifferens esse, ac quod inde fluit, dari inter ipsas distinctionem rationis.

Ad prob. *cursus d. M.* Essentia actualis perficit per existentiam, sicut quaevis potentia passiva *metaphysica* per suum actum *metaphysicum*, c. *M.* Sicut quaevis potentia passiva *physica* per suum actum *physicum*, n. *M.* sic d. *M.* con. Per actum hic intelligunt omne id, quod alterum quacumque ratione perficit; illud vero, quod ita perficit, *ajungere esse in potentia passiva* ad actum. Jam vero fieri potest, ut subiectum aliquod praesistens per actum supervenientem, adeoque realiter a se distinctum perficiatur, ac *physice* determinetur ad certum modum existendi, iunque actus hic erit *physicus*, et subiectum perficiendum in potentia passiva *physica* ad hunc actum *physicam* realiter a se distinctum si se habet *homino ad eruditorem, marmor ad rotunditatem*. Potest deinde etiam fieri, ut aliquod subiectum nostra solum cogitatione ab eis perficiatur, idque tum contingit, cum actus velu forma interna subiectum, quod quidem sine illa concipi, non tamen existere potest, suo modo perficit, et novam ei denominacionem tribuit; talis actus dici solet *metaphysicus*, et subiectum perficiendum est in potentia passiva *metaphysica* ad hunc actum *metaphysicum* a se non quidem realiter sed tamen cogitatione nostra distinctum: ita se habet sphera ad rotunditatem. Si recolamus eam, quae in logica de concretis dicta sunt (§. 7.), facile patet in omni concreto physico formam esse id genus actus *physicum*, in *metaphysico* vero *metaphysicum*. Cum igitur, et ex conclusionis probatione patet, essentia existens sit concretum *metaphysicum*, consequens est, ut existentia sit actus *metaphysicus* ab essentia actuali nostro duntaxat ratione distinctus.

4.) Illa quibus convenient prædicta contradictoria, realiter inter se distinguuntur, seu essentiae, et existentiae convenient prædicta contradictoria: ergo m. p. essentia est aeterna, necessaria, et immutabilis, existentia vero non est aeterna, nec necessaria, nec

immutabilis; sed haec sunt prædicta contradictoria: ergo essentias, et existentiae convenient prædicta contradictoria.

R. *M. d. m.* sed essentiae nude possibilis, et existentiae convenient prædicta contradictoria c. *m.* essentiae actuali, et existentiae, n. *m. d. con.* ergo essentia nude possibilis, et existentia realiter distinguuntur, c. *con.* essentia actualis, et existentia, n. *con.* Idem serviet ad probationem responsum. Nempe si essentia nude possibilis consideretur, ea omnino necessaria, aeterna, ac immutabilis est, ut alio loco ex propositione ostendam; at vero si essentia jam existens, sive actualis spectetur, ea nequaquam necessaria, aeterna, aut immutabilis est; sivevis enim essentia, entis nimirum creatura, prorsus contingenter existit. Essentiae igitur, et existentiae in eodem statu acceptas prædicta contradictoria hand competunt, sed quidquid de una dicunt, id de altera quoque affirmari potest; quare nulla omnino ratio est, ut putentur realiter distinctae. Quo tamen sensu assenser, essentiam nude possibilis ab existentia realiter distinguiri, statim patet, quodsi enim sic argueris: essentia nude possibilis distinguuntur ab existentia; sed essentia nude possibilis est eadem cum essentia actuali; igitur etiam essentia actualis distinguitur ab existentia.

R. *d. M.* Essentia nude possibilis distinguuntur *quoad statum* ab existentia, c. *M.* *quoad rem* n. *M. d. m.* sed essentia nude possibilis est eadem *quoad rem* cum essentia actuali, c. *m.* est eadem *quoad statum* n. *m. et con.* Idem prorsus ens, quod antea fuit in statu nudis possibilis, deinde post sui productionem in statu actuali existit, unde eadem *quoad rem* essentia nude actualis est, quas prius fuit nude possibilis; sed status eiusdem essentiae jam non est idem, status namque actualitatis reapse differt a statu nudis possibilis: quemadmodum architectus aedificium constituit idem in re illo, quod antea mente conceperat, cuius famen status postea multum diversus est ab eo, quem ante in idea solum ipsius habuit. Quare tametsi essentia nude possibilis, diversa sit ab existentia, non est tamē consequens, ut etiam essentia actualis ab eadem existentia realiter differat; cum enim ea diversitas ex diversitate status oriatur, hac subtilia et illam tolli necesse est. Ex his porro clarius intelligi potest, quomodo, quod supra dictum est, in essentiam nude possibilem, et existentiam prædicta contradictoria convenire queant, ea enim prædicta non ad rem ipsam, sed ad statum duntaxat pertinent; status quippe possibilis est aeternus, necessarius, et immutabilis, quia possibilis rerum numquam incepit, numquam desinet: status vero actualitatis non est aeternus, nec necessarius, nec immutabilis; omnis enim res ut existens, praeter ens necessarium, sive Deum, et initium habuit, et finem existendi habere potest.

C A P U T III.

De Atributis, Modis, Relatione, Nexus, et Statu Entium.

QUID ATTRIBUTA, ET MODI?

LVI. Affectiones in ente praetor essentiam insunt (§. 49.): igitur ratione sufficiente nequaquam desistuntur (§. 21.). Jam vero haec ratio sufficiens, vel in ipsa essentia entis continetur, vel non; si illud: affectiones eas compellantur *attributa*; si hoc: tum rursus ratio sufficiens vel est interna, vel externa (§. 19.); inde in hoc eas oriuntur modi proprii: in priore modi analogici, ita *hominis attributum est capacitas eruditioris consequendae*; *modus proprius eruditio oblitera*; *analogicus voluntio libera*.

Coroll. 1. Omnia igitur, quae in ente insunt, vel sunt essentialia, vel attributa, vel modi utriusque generis.

Coroll. 2. Posita essentia ponuntur quoque attributa (§. 22.): igitur attributa inexcupabili nexus cum essentia copulantur.

Coroll. 3. Modi tam proprii, quam analogici salva entis essentia abesse possunt, hoscque, uti et attributa, esse determinationes entis patet ex §. 49. cor.

Schol. Analogia modorum, seu modos analogicos eas appellamus affectiones entium, quae neque cum attributis, neque cum modis in omnibus convenient, nec vero etiam discrepant. Nimur ab attributis different, quod posita essentia non necessario ponatur, sed sicut in instar modorum contingentes; a modis autem discernuntur, quod non agnoscant ratione sufficientem externam, sed ipsi enti, in quo insunt, internam, quam rem cum attributis communem habet: id genus affectiones sunt liberae hominum volunties, et motiones.

POSSIBILITAS MODORUM EST ATTRIBUTUM.

LVII. Possibilitas modorum ad entis attributa referenda est. Ratio sufficiens, quae utique aliqua esse debet, cur modi in ente inesse possint, vel in modis ipsis, vel in attributis vel in essentialibus, cum praeterea nihil sit inente (§. praeo. cor. 1.); sed in modis non est, secus existentiam modorum prior esset corpus possibilitate: ergo ea vel in attributis, vel in essentia continetur; sed utrum horum sit, semper ultimo ad essentiam redditur: ratio igitur sufficiens possibilis modorum latet in essentia; atqui id eopus ratio sufficiens in essentia continetur, est attributum (§. praeo.): ergo possibilis modorum ad entis attributa referenda est.

Schol. Sic homo, ut eruditus: lapis ut calidus, fiat, per essentiam suam capax est. Atque inde patet, quid sit *dispositio naturalis* quam entibus tribuimus: cum nimur em per essentiam suam aptum est ad aliquem modum recipiendum, dicimus illud ad eum modum esse *naturalem dispositum*. Porro me non monente patet, modum, qui essentiae entis repugnat, in eodem inesse nullo

Out. Sect. II. Cap. III. De Atributis, Modis, etc. 45

pacto posse, ac proinde nullum em per suam essentiam aptum esse, ut admittat in se modum, qui vel cum essentia, vel cum attributis pugnet.

QUID DETERMINATIO INTERNA ET EXTERNA, SEDU RELATIO?

LVIII. Determinationes, quae enti convenient, eidem vel in se, et absolute spectato, vel in comparatione dentaxit ad alia competentia: illae sunt *internae*, haec *externae*: et nominatim *relationes* dicuntur: *ut esse patrem, vel filium, ternarium esse, subdupliciter senari, maiorem binario, minorem quaternario*.

Coroll. Essentialia igitur attributa, et modi tam proprii, quam analogici sunt determinations entis internae (§. 56. cor. 13.).

QUAE RELATIONIS PARTES?

LIX. Entia, quae inter se comparantur, *relata*, idque, quod referatur ad alterum, *subjectum relationis*: hoc vero *terminus relationis*: illud denique, quod efficit, ut unum ad alterum referri possit, *fundamentum relationis*, sive *ratio fundandi* appellatur. Quodsi in utroque ratio insit, ob quam ad sese mutuo referri queant, *correlata* addiuntur.

Schol. Correlata sunt exempli gratia *creator* et *creatura*. Si primum creator ut subjectum referatur ad creaturam velut terminum, *fundamentum* erit: largitio existentiae per actum creationis; propterea siquidem Deus dicitur *creator*, quia entibus per creationem existentiam conculit. Si deinde creatura referatur ad creatorum, *fundamentum* praebebit adeptio existentiae per creationem, ideo namque res dicuntur creaturae, quia a Deo per creationem existentiam consecutae sunt. Porro diversa sunt relationem generata, de quibus ordine dinceps agam.

QUID ENTUM NEXUS — ET QUOTPLEX?

LX. *Connexa* sunt, quorum uni competit determinatio sine altero non possibilis, illudque, quod hanc determinationem habet, ab alio dependere dicitur: ita *creator*, et *creatura connexa* sunt, hocque ab illo dependet.

Coroll. Cum determinations entium vel internae, vel externae sint (§. 58.), erit quoque nexus entium vel internus, vel externus: quando hic, quando ille perse patet.

QUID ET QUOTPLEX STATUS?

LXI. *Status* entis est collectio omnium determinationum eidem quocumque modo convenientium, estque rursus ob rationem paulo ante redditum vel internus, vel externus.

Coroll. Modi tam proprii, quam analogici ad statum internum: relationes vero ad statum entis externum pertinent (conf. §. 58.).

C A P U T . IV.
De Diversis Relationum Generibus.

QUAE EADEM, ET DIVERSA?

LXII. *Mutuo sibi substitui possunt ea, quorum uno in locum alterius posito omnia manent sicut ante, quae sibi mutuo substitui possunt, eadem: quae non, diversa vocantur. Sic globus ferreus diu- rum librarium in locum globi plumbet diuorum pariter librarium, ratione ponderis habita, substitui potest.*

Schol. Quod si igitur, ait Boehmius (*Ont. s. i. c. 6. §. 210. sch.*), de uno tot formaveris propositiones, quot praedicta de eam unam subiecto enuntiabilia sunt: tum quatenus alterum cum priori idem est, etenim alterum potest in his propositionibus tanquam subiectum loco prioris subiecti substitui, salva veritate, ut neque, quae affirmativa fuerint, maneat affirmativa, quae negativa, maneat negativa, adeoque ut nihil adsit, ex quo video factum esse mutationem; quatenus vero alterum a priori diversum est, etenim in una, vel aliquot propositionibus fieri neguit habeat substitutio salva veritate.

QUAE EADEM GENERE, SPECIE, AC NUMERO?

LXIII. Eadem generi sunt, quea quoad determinations genericas; eadem specie, quea quoad determinations specificas; eadem numero; quea quoad omnes determinations hoc praecise individuas constitutis, seu quoad ipsum hoc esse sibi possunt. Inde facile intelligitur, quea generi, specie, aut numero diversa sint.

Schol. Ita eadem sunt generi homo, et bellua; specie Socrates et Plato; numero Plato idem secum ipso; omni nomine individuum idem numero est secum ipso, nec potest esse aliud, quod ipsum hoc esse commune habeat. Ab opposito diversa sunt; et quidem generi homo et lapis, specie Alexander, ac Ieus Bucephalus; numero omnia individua eiusdem speciei; ac Socrates, Plato, Aristotle, Cicero. Sed tamen in his ipsis individuis semper fere sunt aliquae determinations individuales in uno, quea non sunt in altero, quo efficitur, ut non solo in numero differant; solo quippe numero diversa dicuntur, in quibus praeter externam fortasse loci aut temporis relationem, nullum omnino aliud discedunt assignari potest, quam quod numerum faciant, sintque adeo plura, non unum; sic solo numero differunt plures globi eburnei perfectissimi me similes, at aquales, nullaque alia re differentes, quam quod plures sint, nonunus. Verum acris inter philosophos agitur controversia, utrum plura solo numero diversa existere possint: de qua quid sentendum sit sub hujus capituli fine dispiciemus; necesse enim est, ut aegitate, et similitudine entium pauca dicam.

QUID IDENTITAS, ET DISTINCTIO?

LXIV. Forma concreti idem (*§. 71. log.*) in abstracto considerata identitas; forma autem concreti diversum distinctio nuncupari

Ont. Sect. II. Cap. IV. De Diversis Relationum Gen. 45

soluta est igitur identitas, aut distinctio ea entium affectio, qua sit ut eadem, vel diversa sint.

Coroll. Ergo identitas pariter, uti et distinctio est vel genericá, vel specifica, vel numerica.

QUAE EARUNDUM SPECIES?

LXV. Rursus tam identitas, quam distinctio vel *realis* est, vel *rationis seu formalis*. Inter ea quae nemine cogitante actu, et in se diversa sunt, distinctio *realis* ut inter Platonem, et Socratem, inter ea, quae in se unum idemque sunt, sub diversis tamen concepitibus cogitari possunt identitas *realis*, et distinctio *formalis*; ut inter vim sentientem, et ratiocinandi in homine; inter ea denique quae ita sunt eadem, ut neque per diversam ideam representantur, identitas *rationis* intercedit; ut inter hominem et animal ratione *praeditum*.

LXVI. Porro, quae realiter distincta sunt, eorum unoquodvis si- ne altero existere possent, vel non; si illud: distinctio *realis* nominatio dicitur *essentialis*, *qualis* est inter animam et corpus, sic hoc: non *essentialis*, quae iterum subdividi debet, vel enim unum sine altero existere non potest propterea, quod sit alterius pars, sive constitutivum, vel quod sit illius modus: in priori casu distinctio *realis* inadiquata oritur, *qualis* est inter brachium, et corpus humanum; in posteriori *accidentalis*, seu *modalis*, quae est inter marmor, et ejus rotunditatem.

Schol. Cum distinctio inadiquata necessario involvatur indentitatem pariter inadiquatam, ut per se patet, necesse est, ut opposita ratione identitas, quoque in *adiquatam*, et *inadiquatam* distribuantur; sic nempe inter totum et omnes partes simul somata datur identitas adaequata inter totum vero, et quamvis ejus partem inadiquata. Alia praeterea identitatis distributio hic negligi non debet; dicimus vulgo ens perseverare *idem*, tamei si alii, et alii rebus succedentibus praster formam externam nihil amplius de eo supersit, modo ea successio continentur, hat, et nostris sensibus subducatur; sic idem putamus plantae, aut animalis corpus hodie esse, quod annos ante aliquot fuit; sic quoque eundem hodie, qui olim, Danubio praeter Viennam defluere dicimus haec tamen proprie vera esse non possunt, constatque illud Heracliti pronunciatum; neminem his posse in eundem fluvium descendere. Identitas istihae *moralis* appellari peterit, pender enim a moralis hominum aestimatione; quae vero eidem opponitur, *physica*, seu ut aliquibus placet, *metaphysica* dicenda est, habeaturque in ente; copius *essentialis* invariata persistunt, quomodo anima nostra in perpetuum eadem perseverabat.

QUAE DISPARATA, ET OPOSSITA?

LXVII. Diversa vel sunt *disparata*, eum positio unius non involvit negationem alterius ut *pietas*, et *eruditio*; vel *opposita* cum positio uno alteram tollitur, haec rursus duplices sunt generis: nonnam-

quam positio unius pavlovit negationem alterius ita, ut vicissim negotio alterius positionem includat, tumque dicuntur *contradicitoria*, ut *possibile*, et *impossibile*, *lux* et *tenebrae*; alias unius quidem position postulat negationem alterius, non tamen vicissim negotio unius positionem alterius, ut *amor*, et *odium*; et *contraria* appellantur.

Coroll. 1. Disparata possunt simul consistere in eodem subiecto, non item opposita, quae ad idem objectum tendunt.

Coroll. 2. Utrumque contradictionum nequit ab eodem subiecto abesse, potest autem utrumque contrarium (*conf. §. 156*, *schol. l. 3*, et *4. log.*).

Schol. Cum privatio sit mera absentia realitatis in subiecto capaci (*§. 44.*), ea involvit negationem realitatis, atque ideo etiam negatio privationis realitatem includit. Inde vero consequens est, ut privatio, et realitas contradictione opponantur, *ut vius*, et *cæcitas*; quare *privativa* opposita, sic enim nonnulli loquuntur; novam oppositionis speciem non constitueunt. Adduct hinc loco etiam oppositionem *relativam*, quae in relatis, vel correlatis, quorum unum nequit esse alterum, conspicua est, *ut inter patrem et filium*, quae opinio si obtineat, non erit ratio, cur non omnia disparata inter opposita referantur.

QUID QUANTITAS?

LXVIII. *Quantitas*, seu *magnitudo* est multorum (*§. 47.*), quae sunt eadem (*§. 62.*), collectio; *tunc mensurare* non est aliud, quam eorum enim assumere, et quoties in reliquis continetur, inquirere, propterea unum illud *mensura* appellatur.

Coroll. 1. Multa simul collecta sub ea duxata ratione, sub qua sunt eadem, quantitatem constitutum.

Coroll. 2. Quantitas sine assumpta unitate intelligi non potest.

Schol. Non est hic sermo de magnitudine spati, quod corpus quodpiam occupat, queaque *magnitudo extensionis*, seu *volumen* proprie vocatur; sed de magnitudine corporis, sive massa, quae aliud non est, ac materiae sub certo volumine contentae multitudo, unde facile intelligitur, quid *magnum*, aut *parvum* sit.

QUANDO MENSURABILIS?

LXIX. Quantitas vel finita est, vel infinita (*§. 40. cor. 2.*); in illa cum habet limites, sciri potest quoties id, quod pro mensura accipitur, continetur: in hac vero ob absentiam limitum istud definiri necesse est; quare illa *mensurabilis* est; haec non, ideoque *immensa* dici debet.

QUANTITAS EST DETERMINATIO INTERNA.

LXX. *Quantitas*, seu *magnitudo* est *determinationis entis interna*. Primum enim, quia enti revera convenit, determinatio est (*§. 59.*); deinde cum sit multitudo plurium eorumdem, enti, quanprimum illud ponitur, ante omnem cum aliis comparationem jam convenienter, haec determinatio interna quoque est (*§. 58.*): ergo quantitas est determinatio entis interna.

Coroll. Quantitas igitur est determinationis entis interna, quae dari quidem, sed non intelligi sine alio assumto potest, *ut magnitudo diametri in sphera*; haec est definitio quantitatis a *Wolfo* allata.

QUA QUALITAS?

LXXI. *Qualitas* est determinationis entis interna, quae sine alio assumto et dari, et intelligi potest, *ut doctrina in homine, rotunditas in marmore*.

Coroll. 1. Determinationes entis internae (*§. 58.*) vel qualitates sunt, vel quantitates.

Coroll. 2. Cum essentialia, attributa, et modi sint internae entis determinations (*§. cit. cor.*), et cide alio assumto intelligi possint, ut per se notum est, ea ad qualitates referri debent.

QUID GRADUS?

LXXII. Etsi qualitas non est quantitas, potest tamen magnitudo quaequam in ea cogitari, atque adeo potest etiam eadem cum ratione quantitas tribui. Quantitas qualitatis gradus vocatur; cum porro quis gradus ex multis minoribus coalescere concepiatur, ille, ultra quem nullus amplius in eadem qualitate cogitari potest, *summus*, vel *ultimus* dicitur, et limitem (*§. 40.*) qualitatis constituit, ac propterea qualitate infinita non existit.

Coroll. Igitur enim gradus dari quidem in qualitate, sed non intelligi sine alio assumto potest (*§. 70. cor.*).

Schol. Minimus sicut pes Viennensis sine aliquo alio assumto intelligi nequit: ita neque gradum caloris in corpore quoquam existentem explicare possum, nisi assumto alio caloris gradu iam noto. Ceterum gradus vulgo dicitur *quantitas intensio*, ut distinguatur a *quantitate extensionis*, cuius limen figuram constituit; sed de hoc infra.

QUID AEQUALITAS, ET INAEQUALITAS?

LXXIII. Entia, quae ratione quantitatis eadem sunt, *aequalia*, ut duo globi ejusdem diametri; quae vero ea sub ratione diversa sunt, *inæqualia* vocantur: *ut duo globi diversarum diæmetrorum*. *Aequalitas* proinde abstracte cogitata recte dicitur identitas quantitatum, *ut et inæqualitas* diversitas quantitatum.

QUIN SIMILITUDO EX PESSIMILITUDO, ET QUOTUERUM?

LXXIV. Entia, quae eadem sunt ratione determinationum, quae non sunt quantitates, *similia* addiunt: quia, porro determinationes non quantitates vel internas sunt, vel externe (*§. 56. 70. 71.*), etiam similia sunt vel interne, vel externe talia. *Similitudo interna* est identitas qualitatum, *ut rotunditas in duobus globis*; *similitudo externa* vero identitas relationum, *qualis datur in duobus fratribus ad communem parentem relatis*. Facile patet ab opposito *dissimilitudinem* constitut in diversitate determinationum non quantitatatem, eamque pariter aut *internam*, aut *externam* esse.

Coroll. 1. Qualitates entis sunt essentialia, et quae ex his proficiunt,

attributa, se modi (§. 71. cor. 2.); igitur similitudo interna rursum duplex est, una rationis essentialium, et attributorum, quae *essentialis*; altera rationis modorum, quae *accidentalis* appellatur. Coroll. 1. Ex adhuc dictis inferatur quoque, ea, quae similia sunt, possa esse inaequalia, ut duo globi diversarum diametrorum; et quae aequalia sunt, posses esse dissimilia, ut quadratum aequale triangulo.

Eadem cum uno tertio sunt eadem inter se.

LXXV. Quae sub aliqua ratione eadem sunt cum uno tertio, sunt quoque sub ea ratione eadem inter se. Sit a sub aliqua ratione idem cum c: poterit ergo sub ea ratione a substitui pro c (§. 61.). Sit jam porro b quoque sub ea ratione idem cum c: poterit igitur et b sub ea ratione substitui pro c: ex his vero manifeste sequitur, etiam b sub ea ratione possesse substitui pro a, aut viceversa pro b: ergo a, et b sub ea ratione sunt eadem.

Coroll. 2. Sit haec ratio quantitas, sequitur ergo; quae sunt aequalia non tertio, sunt aequalia inter se, et aequalia aequalibus sunt sibi ipsius aequalia.

Coroll. 3. Sit haec ratio qualitas, vel relatio, sequitur: quae sunt similia unius tertio, etiam sunt similia inter se, et similia similibus sunt sibi ipsi similia.

Coroll. 3. Pater igitur veritas axiomatum, quae pro construendis rationibus sine probatione summissimis (§. 126. log.).

QUD PRINCIPALIUM INDISCERNIBILITUM?

Schol. Ordo jam postulat, ut fidem datam liberem, quidque de ea, quam supra (§. 63. sch.) attigi, controversia sententiam sit, paucis doceam. Non posse duo perfecte similia, solaque numero diversa existere sententia est, quae jam olim teste Tullio multis ex Stoicorum familia placuit, sed enim ad Lucretium ait (Qq. acad. I. 4. a. 26.): *omnia dictis sui generis esse nihil esse idem, quod sit aliud.* Stoica est quidem, nec admodum credibile, nullum esse ipsum omnibus rebus talem, qualis sit pilus altius, nullum gravum. Hac refelli possunt. Sed pugnare nolo. Opinionem hanc prope jam emortuam suscitavit Leibnitius, confidenterque pronouciavit: fieri non posse, ut duo individua solo numero differentia in hoc mundo existant. (Recueil. de diver. piec. t. 2. Ecrift. 4. et 5.). Enunciatus hoc principium identitas indiscernibilium vocavit, illudque legitima prorsus consecutio ex principio rationis sufficientis proficiens opinatus est. Leibnitius mira consensione sequuntur Wolsius, Cantius, Bulsingerus, Hanschius, Baumeisterius, Boehmius, Winklerus, Baumgartenus, aliique, qui illius dogmatum adorant. Stant ex averso, veritatemque principii negant philosophorum plurimi, nec minus illustres, Newtonus, Clarkius, Boscochius, Schererius, Mako, aliquique innumeris, qui bus accenserit debet ex parte Dariesius (Monad. gen. c. 3. c. 2. §. 4. sch.), qui enunciationem eam ita restringit, ut omnino paret

plura entia quoad determinations internas perfectly similia, non modo posse, verum et actu existere, non tamen posse eadem in determinationibus quoque externi similiter convenire. Hi videntur veritate praeterea assentiri esse.

PRINCIPALIUM ISTUD SUSTINERI NEQUIT.

LXXVI. Duo individua perfectly similia, ac solo numero diversa possunt existere. Quae nec interne, nec externe repugnant, illa certissime existere possunt: sed duo individua perfectly similia, ac solo numero diversa nec interne, nec externe repugnant: non primum, quia duo talia individua, seu singulatum, seu simul suntur, contradictionem non involvunt, ut optimè ipse perspexit Leibnitius (Loc. cit. Ecrift. 3. §. 25.); quare aperie fateur ea in re non esse impossibilitatem absolutam: non alterum: tum quia internam possibilitem comitatur externa (§. 36. cor. 2. et 3.); tum quia eorum processus nullo punto pugnat cum perfectionibus divinis, quod clariss. ex negotiatione rationum ab adversariis allatarum patet: ergo duo individua perfectly similia, ac solo numero diversa existere possunt.

REFELLUNTUR MOMENTA ADVERSARIE PARTIS.

Schol. Examinemus jam adversae partis momenta. Argumenta Leibnitii huc fere reducentur. Productionem duorum perfectly similibus repugnare sapientias divinas; nulli enim ratio sufficiens foret, cur unus potius sit in loco a, quam b, et alterum in loco b potius, quam a: ex quippe ratio non esset in ipsis, cum sint perfectly similia: neque in locis, atque ideo Deum sine ratione sufficiente namque hoc potius, quam illic collocaturum. Idem multis urget Boehmius (L.c. §§. 21. 25. Cosmo. trans. c. 1. §. 520.). Deinde ad experientiam provocat, atque numquam omnino ex omnibus, quae sub sensu cadunt; corporibus, ne duo quidem folia in amplissima silva, aut duas aquae guttulas microscopio inspectas, perfectly similia deprehendi.

Venut in promptu est responsum (L. cit. §. 23.). Imprimis generaliter ratio sufficiens, cur ens sit in hoc loco, nec in ante ipso, nec in loco esse potest, sed in colloquante quaeri debet, a summa igitur Dei libertate, plenoque in res omnes dominio penderet, utrum ex duobus perfectly similibus, si quis procrearentur, hoc potius, quam alia loca consistere oporteat. Universum Deum rationes sufficientes in rebus ipsis fundatas nec sequi, nec salva libertate sequi posse alias opportunitates demonstrabitur. Id tamen his praeferre nequeo: ex menti Leibnitii non est impossibilitas absoluta in duobus perfectly similibus, quod superius imputat: similiter Boehmius asserit, abstractando a principio rationis sufficientis in se possibile esse, ut duo eadem prorsus existant: inde vera prona haec fuit consecutio: ergo in se possibilia sunt duo vel plura individua perfectly similia. Cum igitur Deus aliquid procreat, unum simile ex pluribus adaequate similibus eligit; quae jam vero hujus rei ratio sufficiens? Novi quidem istud Leibnitii menti quam maxime ad-

versari, verum non, quod ille sentit, sed quod ex ipsis sensis proficit, hic attuli. Quod deinde ad experientiam attinet, ea nullam habet vim, cum de possibilite agitur; neque enim omnia, quae possibilia sunt, existunt. Ostendam tamen in cosmologia, tanta corporum sensibilium diversitate nequam evinco dissimilitudinem quoque elementorum, ex quibus eadem coalescent.

- 2.) Baumeisterus sic arguit (Ontolog. §. 169.): si darentur duo individua, quorum neutrum ab altero nulla ratione differret, tunc illa duo individua essent unum, idemque unum, idemque bis existere fingeretur. Cum vero unum, idemque bis existere contra sensum communem sit, intelligitur fieri non posse, ut duo dentur individua, quae in omnibus ita sint similia, ut ab altero alterum discerni nequeat.

At vero consecutio in hanc ipse negat Leibnitius (L. cit. §. 29.): fatuo, quodsi duae res perfecte indiscernibiles existenter, illas fore duas: serum hypothesis falsa est, et contraria magno principio rationis (sufficientis). Nimirum si duas existenter perfecte similia, ea quidem essent unius, ejusdemque speciei, non autem unum numero, quae duo a Baumeistero confunduntur; nam qui ponit duae individua perfecte similia, non ponit in unoquaque determinatione quad entitatem suam easdem, sed similares, et quod species easdem. Certe sicut in rebus inadequatae similares non insunt aliquae determinationes numero eadem; nam secus et haec bis existent; ita neque in rebus adaequatae similares forent determinationes numero eadem. Baumeisterus igitur a mente Leibnitii aberravit, et in paralogismis incidit.

- 3.) Audiamus quoque Winklerum (Ontolog. §. 115.): ex perfectae similitudinis notione intelligimus, duo individua, si omnino similia sint, neque possibiliter, neque existentia inter se differre posse. Ita patet duorum perfecte similium, si existere ea velimus, non nisi unam eamdem esse posse existentiam. Hunc argumentum acriter se opponit Boehmius (Cosmol. trans. c. 1. §. 530. not. 1.): conceditur ipsam illam ideam, quae uni responderet, respondere etiam alteri: negatur vero, unum esse ipsum alterum. Nempe ex eo, quod nos nec in possibiliitate, nec inexistencia duorum perfecte similium ullam discrimen comprehendamus, atque adeo una idea, ambo representare possumus, non sequitur ea in se esse unum, sicut tametsi unam tantum habeamus ideam vis sentiendi, ac ratiocinandi, quae in unoquaque inest homine, reipose tamen, et in se tot existunt distinctae vires, quot sunt homines. Et ratio alterior est: quia licet non in duabus perfecte similibus nullum discrimen agnoscamus, erit tamen in se semper aliquid, idque ab infinita saltu intelligentia perspicere poterit, ipsum nimirum hoc esse, quod in uno inest; et non in altero, a quo quod unum non est alterum.

C A P U T V.

De Ordine, Veritate, ac Perfectione.

QUID ORDO, ET CONFUSIO?

LXXVII. Unum, quod ex pluribus secundum eamdem rationem juxta se colloca lis vel se consequentibus coalescit, ordinatum; ejus autem abstractum ordo, qui proinde aliud non est, quam similitudo quadam elucens in modo, quo plura juxta se collocantur, aut se invicem consequuntur, plura denique illa ordinabilia dicuntur. In casu opposito habetis unum inordinatum, seu confusum, et inordinatio, vel confusio consists in dissimilitudine rationis, qua plura conjunguntur: ita in bibliotheca adest ordo, cum libri ratione argumenti linguae, aetatis, formae, et externe disponuntur; confusio vero, si promiscue, prout in manus venerint, reponantur. Coroll. Identitas aut diversitas ordinis non pendet ab identitate, aut diversitate eorum, quae conjunguntur; sed ab identitate, aut diversitate rationis, secundum quam conscientur.

QUID REGULA ORDINIS, ET QUOTUPLEX?

LXXVIII. Cum uni ex pluribus coalescenti ordo tributur, id item praeferentiam tribui manifestum est: igitur ratio sufficientis quadam adsit, oportet (§. 21.). Propositio enuncians, quid hinc rationi convenienter fieri debeat, regula ordinis appellatur: si idemtitas argumenti est ratio sufficientis ordinis in libris dispositis, et haec propositio: libri ejusdem argumenti simul componantur, est regula ordinis.

LXXXIX. Regula ordinis vel in plures resolvi potest, vel non; illa simplex, haec composita audit. Inde vero sequitur ordinem quoque aut simplicem esse, aut compositum: ita haec propositio: libri iusquae argumenti, linguae, et aetatis simul colligentur, est regula composita, quae si observetur, oritur ordo compositus.

QUID ET QUOTUPLEX DEFECTUS?

LXXX. Defectus est determinatio regulae contraria, isque serius, si possit; apparet, si non possit vitari. Cum porro diversi ordines diversas sequantur regulas, fieri potest, et quod in uno defectum arguit, in altero sit regulae consentaneum; sic cum sola argumenti ratio habetur, non est defectus, si variarum linguarum libri simul conscientur: esset vero, si regula et identitatem linguarum praeciperet.

Coroll. Potest igitur etiam relate ad eamdem res juxta se positas sub alio respectu ordo, sub alio confusio adesse.

QUID ORDO METAPHYSICUS?

LXXXI. Ordo universalis, seu metaphysicus is est, qui in omnibus hujus universi entibus eluet.

Schol. Extare reipsa ordinem quamplam universalem in cosmologia perpetabit, cum generalem etiam mundanorum nexum pluribus per-

sequemur; est enim, Tullio teste, admirabilis quedam continua, seriesque rerum, ut alias ex aliis nexus, et omnes inter se aptae, colligataeque videantur (Denat. Deor. l. 1. c. 4.).

QUID VERITAS METAPHYSICA?

LXXXII. Quatenus ens omnia habet quae requiruntur ut sit hos duxat ens, et nullum aliud, eatenus metaphysice verum dicuntur; est igitur veritas metaphysica convenientia entis cum iis simul summis, quae ipsum constitutum.

DEFINITIO VENDICATUR?

Schol. Veritatem generationis convenientiam quampli cum re aliisque velut norma involvere ex eo colligo, quod hocce praedicatione tam veritati logicae, quam modali (§. 147. et sch. log.) competit. Porro normam hanc non esse extra propriam querendam vel inde patet, quod, cum metaphysica de ente in se spectato ratiocinatur, veritas metaphysica eidem sub hac ratione tribuenda sit. Reute igitur veritas metaphysica in convenientia entis cum iis sumptis, quae ipsum constitutum, reponitur.

OMNE ENS VERUM EST.

LXXXIII. Omne ens metaphysice verum est. Omne ens est hoc ens, et non aliud, atque adeo habet omnia, quae requiruntur, ut sit hoc, et non aliud: ergo omne ens convenit cum iis simul sumptis, quae ipsum constitutum; sed hoc est esse metaphysice verum (§. praeo.); ergo omne ens metaphysice verum est.

Schol. Sed numquid datur falsum aratum? nequaquam; id enim, quod falsum dicit, vel est verum, vel non; si primum, igitur habet omnia, quae ad arum requiruntur, atque adeo verum est; si alterum, igitur non est falsum arum, sed aliud aliquod metallum; vel mixtum, sive tamen in genere verum.

QUID CONSENTIRE ET DISSENTIRE?

LXXXIV. Varia, quae in ente ad idem obtainendum tendunt, consentire; quae autem ad idem non obtainendum tendunt, dissentire dicuntur. Duxat non consentire aut non dissentire est non tendere ad idem obtainendum; neque enim necesse est, ut illud, quod non tendit ad aliquid obtainendum, tendat ad id non obtainendum.

QUID PERFECTIO, ET IMPERFECTIO?

LXXXV. Perfectio est consensus variorum in ente; imperfectio vero dissensus variorum in ente; sic horologium dicimus perfectum, cum varia, quae in ipso insunt, tendant ad horas accurate indicandas.

QUID IMPERFECTIO REMOTIVA?

Schol. Non consensus non est dissensus (§. 84.): igitur vere, et proprie imperfectio dici nequit; interea, tamen quia per hoc, quod aliquid non consentiat, perfectio excluditur, talis non consensus

aliquam saltem imperfectionem involvere videtur: quare optimo duce Boethio vocatur *imperfectio remotiva*, et discriminis gratia ea, quae superius definita est, *imperfectio contraria*. Porro cum varia consentire volumus, loquimur generativi de omnibus seu realiter, seu solum ratione nostra distinctis, quae in ente insunt, ut definitio maxime universalis evadat.

REALITAS SOLUS CONSENTIRE, NON VERO DISSENTIRE POTEST.

LXXXVI. Quidquid in ente consentit, est realitas. Cum omnis determinatio entis vel realitas sit vel defectus (§. 40. cor. 1.) etiam quidquid in ente consentit, vel realitas est, vel defectus; sed defectus, cum in mero non esse consistat (§. cit.), nequit ad aliquid obtainendum tendere, seu consentire: ergo quidquid in ente consentit, est realitas.

LXXXVII. Quidquid in ente dissentit, non est realitas. Quidquid in ente dissentit, illud ei opponitur, ad quod obtainendum alia in ente varia tendunt; sed illud, ad quod obtainendum varia in ente tendunt, est certissime quaqueiam realitas: ergo quidquid in ente ad idem non obtainendum tendit, sive dissentit, opponit aliqui realitatib; at qui realitas non opponit realitatib (§. 4.), igitur quidquid in ente dissentit, realitas non est.

Coroll. Omnis igitur in ente perfectio a realitatibus: omnis imperfectio a defectibus proficiuntur.

Schol. Etiam imperfectionem remotivam a solis defectibus ori attendunt perspicuum est, si mirum si defectus sit eius generis, ut tametsi perfectionis absentiam involvit, non tamest reliquarum realitatum consensum impediatur, pariet is imperfectionem duxat remotivam; ut si vtrum tubi optici in aliquibus punctis non sit satis politum. Si contra defectus non modo perfectionem excludat, sed etiam aliarum realitatum consensum impediens resipue dissentiat, imperfectionem gignit contrariam: ut vittum etarum in horologio. Porro, quia omnis entium perfectio a realitatibus oriuntur, fit vulgo quamvis realitatem perfectionem vocamus: sic sapientiam, doctrinam, pietatem hominis perfectiones dicimus; sic realitates, sive attributa divina, potentiam, sapientiam, aliasque perfectiones Dei compellamus, qui usus improbari certe non potest.

QUID PERFECTIO ESSENTIALIS, ET ACCIDENTALIS?

LXXXVIII. Quae in ente insunt, ad essentialia attributa, et modos seu proprios, seu analogios referuntur (§. 56. cor. 1.), illa semper consentient in hoc, ut ens sit hoc potius, hujusc speciei determinatae ens, quam quodvis aliud; inde oritur perfectio *essentialis* cuius omnino enim communis, quam olim *bonitatem metaphysicam* vocarunt. Consensus vero modorum cum essentialibus, et attributis in unum constituit perfectionem *accidentalem*.

QUID PATRICKIUM, RATIO ET REGULA PERFECTIONIS?

LXXXIX. Id, ad quod obtainendum varia, quae in ente sunt, ten-

dant, *principium perfectionis* dicitur, continetque rationem quae efficit, quodlibet eorum ita sit, nec alter, seu ex qua illa variorum conjunctio intelligi, ac explicari potest. Ratio *haec ratio determinans perfectionis*, et propositio determinationem eidem consentaneam enuncians *regula perfectionis* audit.

Coroll. Posita itaque perfectione, ejus quoque principium, ratio determinans, atque regula ponenda est.

QUID *PERFECTA SIMPLEX ET COMPOSITA?*

XC. Regula perfectionis *simplex* est, aut *composita*, id est, ex pluribus partibus, quas ex diversis perfectionis rationibus, atque adeo ex diversis quoque principiis profundit, coalescentes; in priori casu adest perfectio *simplex*, in posteriori *composita*; sic in horologio, in quo non solum horas, sed et minuta, solis lunaeque, ac aliorum planetarum cursus indicatur, perfectio est *composita*.

QUID REGULARUM COLLISIO, ET EXCEPTIO AB IIS FACIENDA?

XCI. Cum regulares partes ex diversis rationibus profundit, fieri potest, ut sibi mutuo opponantur, unaque poscat, quondam altera prohibet; id si fiat, oriuntur regularum collisio. Dum porro opposita simul obtineri nequeant, eo in casu determinatio aliqui regulae contraria facienda erit, quae exceptio a regula perfectionis audit, ac defectum apparentem causat (§. 50.): sic fieri potest, ut nequeant fenestræ ita construi, ut simul et commodi prospectus, et sufficienți cubili illuminationis inserviant,

Schol. Si quod res est, fatetur; cum exceptio a regula perfectionis sit determinatio contra regulam facta ex una parte, tendit ea ad idem non obtinendum, ac ideo dissentit, paritque imperfectionem contrarium: eum vero ex altera parte sit simul determinatio secundum regulam facta, ex sub respectu tendit ad idem obtinendum, adeoconvenit, et gignit perfectiōnem: oriuntur igitur perfectio inseparabilis ab imperfectione, atque haec imperfectio per eamdem regulam inducitur, per quam perfectio obtinetur; at vel ideo cessat esse vera imperfectio, ac in apparentem solum migrat; quoniam imperfectio vera sensu dici nequit, quia in re quidem secundum se considerata deprehenditur, continuo vero disperdet, cum res ea ad illam, ad quam pertinet, referatur. Ita tameisi in oculo humano secundum se spectato imperfectio videri possit, quod minusssima objecta non exhibeat, ea tamen illico evanescit, cum ille ad totum corpus, cuius pars est, cujusque conservationi cum reliquo inseparare debet, referatur.

REGULAS PARTITIONIS SUBORDINANTIA REGULAS TOTIAS.

XCII. Ponamus plura perfecta, que tamquam partes unam quodam perfectum tamquam totum constituant, necesse erit, ut detur ratio determinans, regulare generalis, ex qua intelligatur, cur partes hujus totius tales sint (§. 89. coroll.). Quia porro etiam partes ponuntur perfectas, quaevis rursus specialem suam rationem, ac regu-

lam habebit, quae omnes generali illi subordinandæ erunt hoc ipso, quod partes, qui perfectæ, constituant totum perfectum. Inde vero colligitor, ex eo, ad quod obtainendum partes in toto tendunt, intelligi, et explicari posse, ad quid obtainendum varia, quae in quavis parte insunt, speciatim tendere debeant. *Exemplum sume ab oculo humano, horologio, vel tubo optico.*

QUOMODO EXCEPTIO FACIENDA?

Schol. His quoque in casibus frequentes regularum collisiones occurrere posse se manifestum est. Ut autem id genus exceptions rite fiant, haec notasse juvabit. Generatum quidem exceptio ita instituenda est, ut imperfectiones, quae per eam irreviant, perfections simul ingredientes, quantum fieri potest, compensemuntur. Tum regula nobilior praferenda ignobiliori, atque ab hac potius ut illa salva persistat, exceptio facienda est; cum igitur regula partis pugnat cum regula, totius, illas negligere, hanc conservare oportet, perfectio enim totius nobilior est perfectione partis: sic brachium ressecandum est ad vitam conservandam, mercesque in mare projiciendas ad evitantium naufragium. Oritur hic quidem imperfectio in parte; at quae a perfectione totius separari nequit, ut exemplo oculi humani supra allato patet; hac enim imperfectione, quod nimis minima non attingat, ab oculo remota totum corpus redetur imperfectum. Atque hoc sensu imperfectio partis non modo non reddit totum imperfectum, sed multa magis confert ad perfectionem totius. Nonnumquam denique ten per operationem quadam ipsa regularum collisionis impeditri potest, si nimis id, quod in perfecto obtainendum est, gradus admittat, neglectoque majori minor eligatur: sic cum tubus opticus objecta et clara, et aucta representare debeat, regularum collisione timenda est, si utrumque in altiori gradu expetatur; quo enim maior est augmentum, eo minor est objecti claritudo, at in inferiori quadam gradu et conciliari possunt habe regulas, et omnis collisione vitari.

PERFECTIO EST ENTIS QUALITAS, AGNITIVENA QUANTITATEM.

XCIII. Perfectio est entis, cui tribuitur, qualitas. Perfectio, cum sit consensus variorum in ente (§. 85.), eidem in se et absolute spectato competit: igitur ea est determinatio entis (§. 39.), et quidem interna (§. 58.). Deinde ob eamdem rationem in ente sine alio assumpto et dari et intelligi potest: ergo perfectio est determinatio interna entis, quae sine alio assumpto et dari et intelligi potest; sed id genus determinatio qualitas est (§. 71.): igitur perfectio est entis, cui tribuitur, qualitas.

Coroll. Igitur perfectio entium, quantitatem quoque seu gradus admittit (§. 72.).

QUOMODO EA AESTIMANDA?

Schol. In aestimanda perfectionis quantitatē haec attendenda sunt. 1.) Cum principiū perfectionis gradus admittit, illud ceteris pari-

bus perfectius est altero, in quo varia ad idem in altiori gradu obtinendum tendunt; ita ceteris paribus mundus, qui in majore gradu manifestat perfectiones divinas, antecellit reliquis; qui eumdem quidem finem, sed in inferiori gradu, assequuntur.

- 2.) Quo plenior est variorum consensio, eo major est entis perfectio; illud igitur, ceteris paribus, perfectius habendum est altero, in quo pauciores deprehenduntur imperfectiones non solum contrariae, verum, et remotivas.
- 3.) Perfectio simplex eo est major, quo plures, et majores, sive interiores in ente insunt realitates, quae consentiant: quod si igitur realitates fuerint omnes possibilis, et nullo limite adstrictae, seu absolutea (§. 40.), ens illud erit absolute perfectissimum, id est infinite perfectum (conf. §. 37. sch.). Inerit enim in eo omnis possibilis consensus.
- 4.) Quantitatem perfectionis compositae constituent plures regulæ partiales, quae observantur: inde compositum altero perfectius censendum est, cum cetera sunt paria, quod pluribus constat perfectionibus simplicioribus, et in quo vel re ipsa pauciores sunt exceptiones, vel saltem eas ita institutae, et minimum, quod fieri potest, imperfectionis inducent.
- 5.) Quodsi perfectio simplex finita cum composita comparari posset, hanc illi praeferendam esse per se clarum est; sic quippe horologium quod praeter horas, minuta quoque indicat, perfectius dicimus altero, quod solas horas ostendit. Verum inter ea, quae diversi sunt generis, potissimum talis comparatio institui nequit: ut vero ad id attendimus, utrum in quavis varia ita comparari possint, si optime ad suum principium sive finem peculiarem sive proprium consentiant; quod, si ita habeat, dicimus omnia ea aequaliter suo in genere perfecte esse: si diversi generis mundos, quorum nempe quisque ad perfectiones divinas in alio gradu manifestandas ordinatur, suo in genere aequae perfectos esse putamus, modo eorum quibus ad suum peculiarem finem quam optime tendant.

SECTIO III.

DE DIVERSIS ENTUM SPECIEBUS.

QUAE HUJUS SECTIONIS SUMMA?

XCIV. Arcturus de variis entum speciebus (§. 7.) necesse habeo, ut de ente necessario, et contingente, immutabili, et mutabili, composito, et simplice, finito denique, et infinito disseram. Verum plurimae sunt praeterea notiones, quae quia cum his intimo quadam nexu copularunt, et alios quoque magnos usus afferunt, in ontologia omitti nequaquam possunt. Pertractionem igitur praesentem ita absolvam, ut principi quidem loco enumeratas entum species dilucidem; reliqua vero, quae ignorari non debent, propterea ratio facili persequar.

CAPUT I.

De Ente Necessario, et Contingente.

QUID NECESSITAS, ET CONTINGENTIA, ET QUOTUPLEX?

XCV. Determinatio, quae ita enti convenit, ut ejus opposita eidem convenire non possit, *necessario*; quae vero ita enti convenit ut ejus quoque opposita, tametsi non eodem tempore, eidem convenire queat, *contingenter* enti inesse dicitur. Inde oritur abstractum quod *necessitas*, aut *contingentia* appellatur.

Coroll. Generatim igitur quicquid ita est, ut ejus oppositum repugnet, necessarium, et quicquid ita est, ut oppositum non repugnet, contingens est.

XCVI. Determinatio, quae in ente esse nequit, vel absolute, vel hypotheticus repugnat (§. 37.); hinc duplex est necessitas; *absolute*; seu *antecedens* cum oppositum absolute repugnat; *sic absolute necessario circulus est rotundus*; *hypothetica*, seu *consequens*, cum oppositum sub conditione quapiam repugnat, *sic hypothetice necessario mundus existit*, *dum existit*. Similiter, cum impossibilitas sit vel metaphysica, vel physica, vel moralis (§. cit.), necessitas quoque in *metaphysicam*, *physicam*, et *moralitem* rite distribuitur; qua vero ratione per se clarum est.

XCVII. Necessitas, que de aliquo determinate sumto affirmari potest, *determinata est*; *sic alterutrum ex contradictoriis determinata necessitate serum est* (conf. §. 39. sch.); quae vero de nullo determinato, sed solum de aliquo ex omnibus possibilibus indeterminate sumpto praedicatur, *indeterminata*, seu *vaga* dicitur (conf. §. 108. log.); *sic vaga est necessitas aliquujus calamii ad scribendum, aliquujus figurae in extenso*.

Coroll. Vaga necessitas non exstat in iis, quae vage necessaria dicuntur ad alterum, nisi istud vel jam actu existat, vel saltem existere debeat: igitur necessitas haec est solum hypothetica.

Schol. Haec nimur enuntiatio: *aliquis calamus est necessarius ad scribendum*, reipse hunc sensu continet; si existaret, vel existere deberet scriptio, necessarius foret aliquis calamus: unde patet necessitatim calamii consequi hypothesis, quod scriptio vel actu existat, vel saltem existere debeat. Res haec summi est momenti ad confutandos atheos, ut suo loco videbimus.

ABSOLUTA TOLLIT CONTINGENTIAM, HYPOTHETICA NON ITEM.

XCVIII. *Necessitas absoluta tollit contingentiam: non item hypothetica.* Quidquid est absolute impossibile, numquam fieri potest possibile (§. 36. cor. 1.); igitur determinatio opposita illi, quae enti absolute necessario inest, numquam fieri potest possibilis, atque adeo nec eidem enti unquam inesse; atqui hac ratione tollitur omnis contingentia (§. 95.); ergo necessitas absolta tollit contingentiam. Deinde, quod solum hypothetice impossible est, in se spectatum